






1
6
488









n 44

XV

BLOND. de

Aff. infant

E

I

MICHAEL ANGELVS BLONDVS PHISICVS

de Affectibus Infantiũ & puerorum.

Bened. varchy

Ab. Hypp. Gal. Aui. Raſ. Haliab. atq; Aeginetæ monumentis deprompta.

1539.

n° 190

juliani riccii

6





Ex legato D. Equitis Antonii Francisci de Marmis

MARINO GRIMANO .TT.S . MARCELLI PRE-
ſbytero Cardinali Reuerendiß. peruſiiq;. A latere Lega-
to digniß. Michael Angelus Blondus fœli-
citatem.

PRoculdubio, ardet cupiditate incredibili, qui nomen ſuum optat ſcriptis illuſtrari, quod arbitror non eſt repræhendendũ pulcherrimum.n.eſt celebrari dum uiuitur : tamen ignoſcas uelim mihi quoniam non lucubrationum mearum fructus uel propria laus, ortatur, hæc ederem, uerum uehemens expectatio multorum, et utilitas plurimorum quam hinc capient: ſcripſi.n .quibus inſalubres infantes fiunt ſalubres et pueri.namq; filius maximus amor eſt parẽtis. qui dum comprimitur affectibus, ne deficiat, his curari ſcriptis poterit: qa hæc ſunt ualde pro futura in repelendis affectibus. Itaq; ex his cognesces quod me incendit: ut optarem ꝙ celerrime a tanto uiro comendari: non, n .me tantum commemoratio futura ad ſpem illam immortalitatis mouit, ſed etiam illa cupiditas, ut uel authoritate teſtimonij tãti uiri, ſiue inditio mee ſeruitutis, nõ nete, uiuus fruerer. quare, ne proprio amore me ipſum deciperem, tuo hæc, ſuppoſui iuditio. itaq; comendabis ſi laude dignum fuerit, ſin minus apud te comprimes, uel coriges ſaltem. quoniam hoc ſemper tuum fuit offitium: quia non ſtudiorum tantum, ſed et ſtudioſorum amantisſimum noui.

Decima Kalendas Martij.

PROEMIVM.

VT paruulorũ affectus pellatur et ualetudo infantium ſeruetur. & puerorũ oportet celeſtẽ inuocare principẽ, & cor noſtrũ prudentie dare. ſi quid optamus aſequi uolumus. ut igitur ſapiens dum ſtudet fit ſapientior. ita et doctus dum legit doctior effititur. uerum ut inquit ſalomon. timor domini principium ſapientie eſt. at ſapientiam et doctrinam ſtulti deſpitiunt, uiri autem prudentes amplectuntur ut theſaurum. Nec uolui dixiſſe hoc quia ſapiens, ſed quia prudentum in ſcribendo immitor doctrinam. & ſic lectis undiq; floſculis. quibus infantũ comprimuntur langores, putaui, huic noſtre ætati prodeſſe aliquantulũ & mihi hoc genere ſtudiorum. non ſolum oblectationem uerumetiam gloriã parare. propterea, eruditisſimi, utar Ceciliano ſermone. uos paſſerculis et columbis noſtris inter aquilas ueſtras dabitis pennas ſi tamẽ et ſibi et uobis placebunt. ſi tantum ſibi, continendos cauea nido ue curabitis.

DE CVSTODIA INFANTIS.

INquit Gal. primo de ſanit. Tuenda, recens natus infantulus eſt. cuius conſtitutio omni nota uacat. huic ergo obſtetrix, primum, oportet, nectat umbilicum ne ſuccedat quod ab indoctis manibus frequenter conſtpeximus. poſt hoc lauandus eſt aqua calenti tantum. Tamen ad efficiendam cutem infantis ſolidiorem præcepit Gal. conſpegeretur ſale. uerum hac tempeſtate eo non utuntur obſtetrices Haliab. etiam iuſſit primo pratice. idem fieret quod Gal. placuit ſale et roſis pariter mixtis. nihilominus. his poſt habitis. modo obſtetrices paſim abluũt tantum infantem: quia lotione omnes ſordes lauant. & ſic plurimum conferunt illi. quando autem uel ſudor mollierit cutem uel ex operculis quid aſperum roſerit, uel impudendis et coxis urina conſumpſerit urendo. tum tritiſſimis roſis leſa conſpergunt. Itaq; abluendus eſt infans mane et ſero ut moris eſt hac tempeſtate uiuẽtium & hoc cum aqua elixationis roſarum atq; aliarum herbarum ſuaui ter olentium ſed poſt longum

ſoporem quoniam eadem. prima tertij. præcepit & princeps fiat igitur hoc iuxta focum . ac cèlerrime dum bruma riget tegmine & linteolis inuoluatur . frigus. n . teneris corporibus quantum obeſt omnibus ſcio compertum eſſe. & ſtratus infans. non ſupinus, uerum ex latere iaceat in cubili laudamus erecta ceruice . Nec graue ſit capitis tegmen , ſed leue & quod pati poteſt . tempora etiam & frons nectenda ſunt eius, quia ſic compagines oſsium fiunt ſolidiores ſtudendum eſt quoq; & ſopori infantis. quoniam alit plurimum. tegendus eſt etiam adeo , ut non opræſſus uideatur. ſed quod medium interdicta fuerit . os autem nõ eſt comprimendum niſi leuiſsimo tegmine. nam plerumq; occumbere ſolet ille. cui grauiter ac diu præſſum os fuerit. flere etiam permitendus eſt infans paululum. habet enim hoc exertitij partem & magis canoram efficit uocem, & poſt abſterſas lachrimas, iucundiores cõſpiciuntur acies infan. is alendus autem erit ſacharo uel penithijs ſáltem duobus diebus. aut donec lac aſcenderit matris ad ubera . & os aperiendum erit digito obſtetricis, illito melle. mouendo a maxilis ad gutur ipſum. ſcindendum eſt etiam ungue ſub lingua quodq; retinaculum hoc enim ſolet eſſe loqutionis impedimentum. ſed abluto infante prius autem q̃ uinciatur operculis. trahantur brachia eius ſuauiter in crucem uſq; ad genua poſtmodum prætegatur. itaq; molles artus infantis placide ſemper tractandi ſunt & lac genitricis ſalubrius eſt lacte cuius uis alius nitidiſsime mulieris. demum hæc ſunt, auxilio dei que cuſtodiunt infantem donec lac ſugere ceperit.

DE DIVERSIS AFFECTIBVS INFANTIVM.

IN paruulis & nouiter natis apparent ulcera. quæ ſummam partem oris occupant. quia & Hipp. apho. tertio. In etatibus autem talia cõtingunt paruis & nuper natis puerulis. oris ulcera, quæ aphthæ uocantur. uomitus. tuſſes uigiliæ. pauores. umbilici inflamationes aurium humiditates. & ulcera ueniunt propter molliciem que fit in inſtrumentis. que nec tactum. nec ſuſtinent lactis qualitatẽ ob ſeroſam partem inſidẽtem. uomitus aũt ſuccedit propter quantitatem lactis aſumptam . tuſſes

propter catarum uel frigus quod cõcipiunt in ligamentorum mutatiõe. uigiliæ ob aliquã grauem paßionem. nam secũdum naturam uberrimo somno irigari solet. & pauore per somnũ excutiuntur. præcipue qui fuerint natura edaces. inflamatiões umbilici ob ulcus aliquod fiunt & propter prauitatẽ humorum & auriũ humiditates non ut per nares uel palatum efluunt. ut propriũ est nature sed quia alienum est. ex purgare p aures. per alia etiam foramina efluunt superfluitates cũ exhuberant ut prædictum est ab æodem Hipp. & Gal.

DE VAGITV.

PLurima sunt que uagitum concitant in pueris. sed de præcipuis est lactis cupido. aut morsus animalium ut pulicis. tornima etiam uentris uagitus sæpe numero causa sunt. quod, cum esset notißimũ puto nullis egemus signis. uerum celerrime curendũ est ad medicamina que infantis uagitum cõponunt. ne & disruptio inguinum & quid deterius eueniat. itaq; scripsit Gal. quod fletui infantis orto ab aliquo lãgore tria medentur. & præcipuũ est nutricis pupilla ori indita. motus mediocris. postremo & modulatio uocis. mollis incessus etiã componit uagitum. & eius cune leuis motus cum modulatione.

DE SAPHATI.

FLet ac mirifi ce tristatur infans. ob pruriginẽ crassorum succorũ degentium crustosis in ulceribus. uerum, dicta nec hunc uagitum neq; hanc tristitiem componunt. quia poscit affectus is fortius præsidiũ namq; ex prauißimis succis ortus est. quoniam saphati. incrementum suscipit ex mala humiditate que sanguini admiscetur iuxta cutẽ. itaq; breui crasßißimus succus is efficit ulcerula quedam. quæ, nõ adeo, caput, uerum & hilarem multũ infi ciunt infantis. demũ ex his, quãdo sanies subtilis. quãdo crassus effluit succus & pruritũ concitans & uagitũ inducẽs ꝓpterea creberrime & ultra modũ uigilat infans. præstantißimũ ergo & saluberrimũ medicamẽ est. nati præcinctas manus liberare. ut illas in

caput cruſtoſum iniitiat . quo tenui ungue euocet ſuccũ. cauſam et pru-
riginis ex uagitus. quod ſi faciet uſq; ad ſanguinem procul dubio præ-
ſtantiſsimum erit preſidium. malus etenim ſuceus cum effluxerit cura-
bitur infans. forinſeco quo uis remoto linimento. maxime ſi nutrix bo-
num regimen uitæ ſeruauerit. quod ſi infectio hec prædicto non extin-
guitur præſidio Nutrici cura adhibenda erit , cui poſt ſolutum uentrẽ
imponendus eſt ordo in ſex rebus , de quibus maximum præceptum ſit
inde eſculentis et poculentis. quoniam hæc alimentum infantis efficiũt
laudabile. demum utendum eſt medicamine depilatorio. poſt modum ap
ponenda ſunt folia atriplicis aut uitis albe, uel braſcice. tandem illinen
dum eſt caput butiro cum uitellis ouorum. uel butiro tantum. ſugunt. n.
dicta illud uenenum. et cruſtas linimenta remolliunt. quod ſi dictis etiã
compos non fueris. confugies adhoc linimentum , quo uniuerſum caput
cruſtoſũ operculabis. territo ceruſe, litargirij aurei pares drach. quinq;
cere drachmã, olei roſacei untiolas duas. liſciui de cinere uitis untiolas
tres, ſed ceram cum oleo conficies et cætera permiſces cum quinq; ui-
tellis ouorum.

DE ALTERA SPECIE SAPHATI.

ACcidit etiam infanti altera ſpecies ſaphati. que dicitur fauoli-
tas mellis. et hæc infectio, parit ulcera ſquamis piſcium ſimilli-
nia. cum maximo pruritu cutis. & quoniam ab illis profluit ſanies melli
conſimilis ideo hec ſpecies, uocatur fauolitas mellis. Relatum ergo regi
men in præcedenti capite ſeruetur in hac etiam ſpetie ut infantis ita
et nutricis. uerum huius morbi præſtantiſsima erit cura. quotidie ton-
dere pilos. et abluere caput cum ſublimatione ſaturegie uel mentaſtri
ſiue ſanſuci. poſt hæc illinendum erit caput hoc ſalubri linimento. contũ
dito agarici ſulfuris drach. equalem. litargirij ceruſe drach. duas . olei
roſacei partes duas. aceti paululum et conficito demum per ungito ca-
put infantis bis indie donec morbum compreſſeris . uerum poſtq̃ ſemel
illineris priuſq̃ iterum linas. ablues caput cum dictis ſublimationibus.

DE MAGNITVDINE CAPITIS SEV hydrocephaglitæ.

COnſtat. quod reperitur etiam infans. qui cum nititur egredi ab utero genitricis præ magnitudine capitis extrahi nequit. niſi cũ maximo et dolore et labore parientis. infanti autem poſtq̃ ortus fuerit. breui temporis ſpatio, ultra modum fit caput magnum deformemq; adeo et proceram in magnitudinem extenditur. ut corpus illud caput nequaq̃ fere poteſt amplius. nec tamen orto augeri deſinit donec puer adoleuerit itaq; exceſſus is. cum monſtro potius q̃ homini ſimilis eſſet. putaui fore ſuccurendom. ne quis puerorum citius deformis q̃ formoſus uideretur. cum inter animalia pulcherrimum animal ſit homo. ſciendum eſt igitur, quod capitis exceſſus. recepit fomentum a greſsis ſpiritibus capitis in oſsibus morantibus aut creuit ex ſucco aquoſo eodem in capite recluſo, anteq̃ e uinculis uteris egrederetur. non enim inuenit exitum ſuccus ille ut efflueret. ideo euocandum eſt nocuũ a capite nutricis cum aliqua ex yeris. prius autem molliendo crudum dum oportuerit eidemq; præcipiendum eſt omnia eſculenta horreat præcipue flatuoſos ſuccos gingẽtia. poſt hec infantis naribus iniities gutã olei amigdalini dulcis aut olei anetini, quod ſi hec non profuerint. uertito mentem ad ſublimationem amaraci uel betonice. ſin minus, his etiam caput decreuerit, tum hoc forinſeco medicamine utere. conſicito ſerapini et ſarcocole q̃tum uidebitur. et hoc cum oleo ſed quando hoc etiam non diminuerit caput infantis contundito albumem oui eiuſdem cum cortice. inſtar linimenti. atq; addito thuris modicum, poſt modum uniuerſum caput prætegito tonſis capillis omnibus, ſed hoc linimentum dimites plurimis diebus. quia ſtringendo minuit caput ad ueram illud reducendo formam. adhuc tamen naribus in ijcies de felle lupi aut cerebri lupi paululum cum modico mirrhe. et hoc facito diebus frequentatis quolibet menſe. donec reduxeris caput ad formam corpori conformem. ſed et cauterium laudatur in occipitio, quo uti poteris cum ſcripta non contnlerint. puluis etiam cantaridarum proiectis extremis ſupremam cutem ulcerando, euocat dictum humorem. uerum priusq̃ iterum conſp ergitur lauatur

caput cum dictis sublimationibus. uel, ut tibi uidebitur præstantias.

DE STERNVTAMEMTO.

DOcet Hipp. aph. septimo, quod sternutamentum fit ex capite calefacto cerebro. & Gal. inde sint. causis: dixit. quod aer externus in asperas arterias respirans efficit tussim atq; huius generis est sternutamentum quoq; expelendo ea que in naribus retenta fuerunt. & aduentus sternutamenti signum est. contractio oculorum & modica febris. curatur autem cum folijs porri aut rasura cucurbite cum oleo rosaceo. siue illito oleo & uitellis ouerum. quoniam sic comprimitur sternutamentum.

DE VIGILIIS.

ET in moderatis uigilijs occipitur infans. quod fit, arbitror ex coruptione lactis. ergo studendum est in corectione eius. itaq; regimen uitæ instituatur nutrici optimum. & paruulo subtrahatur de alimento. sorbeat etiam nutrix quod corpus soluit. ut esset flos cassie. uel mãna. post hæc iniicies naribus infantis. olei anetini gutã cui permixtũ erit modicum succi lactuce. eodem quoq; oleo lines regionem uentriculi. & caput uniuersum non detracto succo. cum uero nõ contulerit hoc. & uigiliæ procedunt. tum argues maximam coruptionem lactis. erit igitur studendum in emendatione eius pro uiribus. ast infanti glutiendum, poriges plerasq; gutas sy. papaueris. uel modicum sy. papaue. cui permixtus fuerit puluis corticum papaueris. solet etiam offerri requies magna. preterea tempora & frontem illines. oleo papaueris cui modicum croci admiscueris. siue lauabis extrema hac lotione. quoniam soporem induces uelociter. Contundito foliorum nenufaris. rosarum uiolarum. pugillum equalem. seminis aneti. croci paria grana decem seminis lactuce & portulace pares scrupulos duos. seminis altee malue pugillũ. atq; in decenti aqua fontis elixentur. alijs uero de soporiferis non est adeo præsumendum. quia corpus infantis facile succumberet. indesperatis

ratis

ratis autem uigilijs cũ præmiſſa non profuerint audendum erit ſuper opiata ut eſt philonium romanum trifera cũ opio & huiuſmodi ſed cauendum eſt a q̃titate. & pro uiribus ab illis fugiendum eſt. namq; & ſi ſomnum inducunt opiata. præter euidens aliquod malum, certum eſt quod cerebrum hebetant.

DE SOMNO MALO.

Accidit quãdoq; infanti. haud parua terrefactio in ſomnis. quod frequentiſſime in lactis auido conſpicitur. nequit enim lactis hauſtam quantitatem concoquere. ideo refert princeps. tertia primi can. cum cibus corumpitur & ſtomacus hoc ſenſerit. procedet nocumẽtum a uirtute ſenſibili ad uirtutem formatiuam. ideo apparent ei ſomnia terrefacientia. atq; huius mali ſomni ſignum eſt. uagitus. cõfeſtim poſt expergefactionem. & nonunq̃ priuſq̃ expergiſcitur. ſed uigilando uagitus creſcit & calor. hoc autem quod ueniat excorupta ubertate lactis. fætidus odor ſpirans ab ore oſtẽtat. propterea uult princeps. quod ſuper nimiam ſatietatem. non cogatur artus infantis ſopor irigat uerum, fauum mellis detur ei lambendum quia corigit quod eſt in uentriculo ac deponit. & ultra hoc. corigito lac alentis. ne incidat infans, poſtmodum, indiſcrimen grauius, propter lactis coruptionem. infanti etiam oferto quandoq; conf. dianthos uel diamuſci dul. donec conualuerit. uerum non excedes pondus trium drach. & dictorum in defectu tiriacem andromaci porigito. eſt enim infantum medicamen præcipuum.

DE MORBO COMITIALI.

Altero de duplici morborum comitialium infans ſolet infici. alter quorum eſt. quando oritur ſecum alter uero, quando ſuccedit ex malitia naturalis complexiõis frigide uel humide cerebri. q̃uis etiam morbus is poteſt eſſe accidentalis. & inditium naturalis eſt. quãdo ſuperuenit confeſtim poſt natiuitatem. accidentalis uero ſignũ eſt

uitium dicte complexionis, siue alimentum cum regimine illaudabili. itaq; naturalis comprimitur dum corigibilis est cum maxima obseruatione regiminis uitæ. quoniam sic in mutatione etatis deprimitur. sin minus hoc modo euanuerit, morbus is infantem ad mortem famulabitur uerum e uitio celebri procedens superatur cum corectione malitie cerebri. accidentalis etiam suprimitur in corectione lactis. & cum in anitione corporis, alentis, atq; eius laudabili regimine uitæ. que, fugiat oportet pituitam gingentia & lactet infantẽ quadam equalitate ut posit concoquere. sed calida medicamina admoueantur naribus infantis. & olfaciat assam fetidam siue rutam uel castoreum, linimentum etiam ex oleis calidis prodest. & peonia e collo suspensa. & lapis smaragdus plurimum laudatur. Tiriaca uero magna semper profuit infanti. quod si plura cupis cognoscere hunc norbũ ex pugnantia nostris infamiliaribus copiosam epistolam inuenies. unde aurire poteris. quod tuum proculdubio. explebit desiderium.

DE FLVXV HVMIDITATIS AVRIVM.

EX nimia humiditate cerebri. nonunq̃ plurima humiditas fluit ab auribus infantis que dum salubrius efficit uniuersum caput non erit choibenda. sin autem is fluxus compræhenditur. de affectibus. præcipiatur nutrici uitæ regimen siccissimum. & licinium de ueteri bombice auribus immitatur suggit. n. illud humidum. uerum extracto uno alĩud imponatur licinium quoniam sic. plerumq; illud humidum cõprimitur. quia si hoc modo etiam non consumitur terito modicum aluminis atq; cum optimo falerno uel mæro cretico soluito. eoq;, prædictum tingito licinium & auribus intromitito. quia utilissimum erit. siue mel aquæ permixtum dum bulierit iniicito. aut gallas & mirti folia contusa & soluta cum aliquo ex succis imponito. hominis etiam urina sordes aurium detergit. quod si aliquem alium morbum dicte sedis uolueris oppugnare. ad dictas familiares nostras recures. namq; ibi scripsimus de affectibus aurium uberrime.

DE AFFECTIBVS OCVLORVM.

PRauißimis etiam langoribus oculi infantis inficiuntur. præcipue quodam tumore & quadam obclusione propter affluxã pituitã. quam repellunt maxime medicamina apposita capitis ulcerulis. & .n. facillime superflua inferius & ad oculos uertuntur. qui, ex calidis itidem & frigidis succis uelociter inficiuntur. ergo dũ tument oculi & facies rubet & quoq; frons calida nimium est. Contundito rosarum succi memithe equales drach. tres. croci mirrhe drach. & dimidium. atq; omnia conficito cũ lacte femineo demum oculos & frontem prætegito ad cõualescentiam. neq; est timendum super hoc. quia est laudabile experimentũ sin autem, nec frons esset calida. nec uultus. neq; oculi ruberent tum Contundito mirrhe croci rosarum aloes pondus equilibrum. atq; cũ optimo phalerno conficito. tandẽ oculis opponito. & quoq; naribus iniicito modicũ ambre solute cũ lacte mulierino quia multum prodest, sieph etiã album comendatur & tucia. abluta aqua feniculi & simillima. uerũ. n. uero si scabie siue albugine quadã inficerentur. tum superabis affectus hos. illis medicaminibus. que conueniunt adolescentibus. & hec in familiaribus nostris inuenies. eliges tamen semper leuiora.

DE OBLIQVO VISV.

NAscitur etiam infans obliquum uisum habens. quod tum cõpræhenditur cum oculos incipit aperire. hoc demum erit naturale quod utiq;. curare est difficillimum. qui autem inciderit. in hoc uitiũ ex obliquo intuitu, aut hirquis oculis prospiciens lumen uel quid rubrum aut delectabile: magni fauore cælicolæ. hoc ordine illum corriges iubeto accendatur lumen exaduerso. & quod fuerit diuersi coloris ac delectabile uisui. ex opposito uisus suspendito. quod poßit infans prospicere dum uigilat. quoniam sic obliquus uisus corigitur. sin minus optatum desiderium consequeris. maximo uotum deo reddes. quia sic placuit illi.

DE PRODVCTIONE DENTIVM ET langore gingiuarum.

REfet Gal. quando pueris dentes cito oriuntur. tunc ortus eorũ est facilior & minoris doloris. tamen in quo hoc fuerit puero. eius dentes erunt imbeciliores. uerum quando sero nascuntur. dolor fit acutior at dentes fiunt fortiores. qui dum uere nouo spirant celeriter apparent & sine langore. tamen in hyeme est oppositum. sed æstus tẽpore dum hoc euenerit. modicum doloris sentiet puer. at in gingiuis & maxilis plurima apostemata intumescunt. auribus etiam. tuborositates glandulosi tumores. pruritus. & fluxus sanguinis narium superuenit. succedit & febris quandoq;. & fluxus mouetur uentris & constipatio itidem accidit. sed hoc rarius conspeximus. ideo confriscabis gingiuas pueri digito uel lupino dente. hoc enim tenues efficit gingiuas. & sic dentes celerius apparent. præterea illines gingiuas oleo. siue pingui galine. aut cerebro leporis. uel saltem lacte canino. & capiti super sparges elixationem camomille, et aneti. maxilis autem appones cataplasma resolutiuũ. quod si langor gingiuarum acueretur. perunges occiput butiro ad mixto oleo laurino. aut butiro tantum & medulla crucis uace. uerum ortor. tum admoueantur hæc cum dicta apparuerint synthomata. postmodum & colum & uniuersum caput. nitidissima lana circumuoluito quotidie desuper aquam calentem rorando. grauis autem dum superuenerit fluxus uentris comprimito illum medicaminibus dicendis inferius. idem etiam de constipatione erit faciundum.

DE VLCERIBVS ET VEScicis oris.

VLcera & uesice quæ nascuntur in ore puerorum aliquando habent ortum. ex lacte corrupto. nonunq̃ ex acuitate eius, & hæc aut ualde aut parum acuta erunt. uerum, acutarum signum est rubedo & acutus odor cum ubertate saliue. minus autem acutarum. inditium

est. albedo & dolor temperatior. sed humidus succus. qui ab ore pueri effluit plurimus erit. acuta igitur ulcera & uesice. comprimuntur corigendo lac nutricis. cum frigidis & humidis edulibus. & puero offeres mali punici succum aut quid simillimum. demum dictis dum non compræseris ulcerum acuitatem tum dicto succo addito succi lactuce. succi portulace. uel succi etiam uue acerbe. siue uue canine. quia his opprimitur ulcerum oris acuitas & uesicarum. at minus acuta & quæ tendũt ad albedinem coriguntur cum tritissimo croco & mentha additis sachari duabus partibus. rodomel etiam detergit eadem. sed cum dicta ulcera fusca & nigra fuerint colore aut plena putredinis. tum ea expugnabis præsidijs illis quæ simillimis affectibus iuuenum conueniunt.

DE TVSSI ET ASPERITATE pectoris.

Frequenter etiam accidit tussis infantulo propter frigus quod cõcipit in mutatione ligamentorum. aut quia non claudit os suum. neq; eius lingua prætegit epiglotum. uel idem fit ex lacte flatuoso quoniam edit nutrix flatuosos succos gingentia. demum has ob causas & pectus & instrumenta eius frigefiũt. itaq; coligendus est infans cito dum bruma riget & iuxta focum. nitendum est quoq; puer comprimat os suum. dum sopor artus irigat. & lac corigendus est cum tussis prouenerit ob uitium lactis, prohibendo & fructus & legumina nutrici, & cuncta alia producentia succum flatuosum. neq; infantulus erit medendus forti medicamine uerum curandus est leuissimo præsidio. itaq; contundito aliquot nncleos dulcis amigdalé & soluito cum sublimatione feniculi & aliquantisper cõquoquito demum mane & sero porigito aliquantulum. siue aquam feniculi mixtam cum lacte offerto. quod si cũ tussi adderit asperitas guturis & quoq; sicitas oris. tum semen citoniorum cum aqua calenti mollies usq; ad mucilaginem quam leuiter concoques. cum oleo dulci amigdalino proiecta aqua postmodum poriges ut poteris puero. quod si extraneus etiam calor affuerit. addes succi

punici pomi du lcis, ad arbitrium atq; de hoc medicamine dabis ut indiguerit infantulus. prӕterea hoc quoq; tußim oppugnat cum dicto calore. cum elixatione sebesten conficito. seminis papaueris albi draganti equale dimidium drach. & seminis cucumeris drachmam. uel sic & erit suauius. elixentur chesmes. quibus post optimam elixationem addes penithiarum quantitatem: demum ut oportuerit poriges. uerum in deffectu dicti caloris. & mirrhe modicum & prӕpositi olei amigdalini paululum cõficies cum melle ybleo & offeres quod si pectus iniquis succis abundaret. tum admisces galbani drach. uitello oui aßi atq; offeres, edat. sin autem eius anhelitus obstructus esset. terito seminis lini ac melli admisceto & facies ut prӕdiximus. quando autem cum tußi adesset fluxus uentris. tum sy. menthe cõ cocti cum lacte alentis dabis & simillima. laudatur etiam elixatio dactilorum cum farina tritici. sin autem ob catarrhum e capite fluentem tußis excitaretur, tum hoc sanctißimo medicamine uti poteris. frenat. n. & catarrhum desendentẽ & quoq; pectus lenit. Cõtundito coriandrorum prӕparatorum untiolam florum anthos drach. quatuor. seminis anisi rad. liquiritie equales drac. duas. mastichis drach. dimidium. amilij drach. quatuor. rad & seminis peoniӕ equale dimidium drach. cinamomi drach. duas. rosarum rub. drach: duas. bachárum mirti drach. cum. 30. granis. gummi dragãti gummi arabici pares drach. duas. pulueris pulorum irundinum drac. antimonij drach. tres sachari ad oportunitatem & conficitc. Itaq; prӕmisso fauore superum maximi. dictis. tußim poteris comprimere & fluorem descendentem a capite.

DE ANHELITV LABORIOSO seu dyspnea.

LAboriosus anhelitus siue respiratio dura maxime fit exrheumate & malis succis a capite ad toracem & spirituum canales decursis Itaq; conandum est tales succi per os euocentur. cum euocatione stantium in uentriculo, & qui fuerint craßi. molliantur cum medicaminibus tußim oppugantibus. post hec & frenantibus utendum est

quod fit cum ſpetiebus in præcedenti capite ſcriptis contra deſcẽſum. catarrhi demum ex præcepto Auicene. illines oleo aurium radices & lingue. uerum & aquæ calentis plerasq; gutas in os pueri proiicies & ipſum mel offeres, aut mel cum farina ſeminis lini. tamen & penithij laudantur & linimenta e pinguibus & butiro & oleis. quibus utimur in affectibus pectoris & pulmonis langoribus. præcipuum autem illud erit quando magis libera fit reſpiratio q̃ fuerat.

DE VOMITV.

PLerumq; & uomere ſolet puer. uberrimam propter copiã lactis. quam ſugerit e mãmis aut ob in becilem uentriculi concoctiuam ſiue propter maximam humiditatem lactis. præcipue cum pueri fuerit uentriculus & nimium humidus & rare texture. eſt igitur ſtatuendus modus. in exibendo lacte, ut tantum ſugat concedatur. q̃tum poſſit cõ coquere. demũ conſiderãdum erit quod euomuerit quia dum acetoſum redeleret & eiecti ſucci albi eſſent. tum offeres olibani & rute ſicce equalem obolum cum ſy roſaceo. & præcipies. utatur nutrix frequentiſſime mentha aut ſumac. Conficies etiam hoc medicamen quod nos ſæpe experti ſumus. terito xiloaloes maſtichis equale dimidium drach. galie. mus. ſcrupulum. & cum roſaceo ſy. comixta indiluculo & cum aduesſperaſcit poriges priusq̃ & lac ſugerit & poſtq̃ decoxerit quod fuerit in uentriculo. offeres etiam menthe ſublimationem & eiuſdem ſy. dum non abuerit. deforis autem ſuper regionem uentriculi appones hoc cataplaſma. Contundito maſtichis aloes. thuris. acatie. galie. panis uſti. pondus equi librum & conficit ocum oleo roſaceo. hoc enim & uomitum frenat & ubertatem ſaliue compeſcit.

DE FLVXV VENTRIS.

ACcidit & fluxus uẽtris puero præcipue cũ dentes incipiũt ſpirare. ut diximus. q̃uis & frigus quod in mutatione ligamentorum. & ubertas

corupti lactis hoc idem faciat, tamen & pituitosus succus & biliosus cũ fuerit uberrimus. cit uentris fluxum. & bilis inditium est. quod in feci bus reperitur quedam citrinitas olens acutum. præterea fex ipsa egre ditur sine mora. sed uenientis a frigore. signum est pituitosa albedo egestionis & contortio uentris dum egerit fluxus autem e bili ueniẽs uincitur cum mirab, citrinis reubarb. usto paululum & aqua arnoglo- se & menta sicca cum sy. infus. rosarum siccarum uel succo mali puni- ci. uel sic. Contundito spodij infusi in aqua & traiecti. & galie paria grana decem, croci drach. dimidium. atq; ut poteris offerto aut exibes seminis lapatij cõtusi. siue conficies cum uitello oui assi. uel sic quod frequenter experti sumus. territo seminis lapatij. arillorum ustorum drach. equalem. glandis. seminis papaueris albi pares drach. duas. cro ci drach. quinq;: demum cum rob citoniorum aut cum dicto sy. poriges glutiat. & super regionem uentriculi ex stipticis pones cataplasma. siue hoc medicamen. quia optimum. fiat ergo elixatio sumac in aqua. cui addito farine ordei siue milij & apponito uentriculo. quoniam hæc uirtute magni dei infantis fluxum coibent. sin autem hæc quoq; non contulerint. contundito acatie ceruse equalem drach. apij modicũ. atq; pariter cõficito quia hoc confestim frenat fluxum. quod si prouenerit propter frigus aut obnoxam pituite. detur puero galie modicum. & olibani cum dimidio scrupulus. cum succo citoniorum. aut miua cito- niorum. tamen nec obliuisceris catapla. stiptici. uel sic. cum optimo ui no rubro conficiendo croci & mirtilorum. haustum oferes. eliges autẽ exomnibus dictis quod præstantius medicamen uidebitur nos autem. hoc etiam experimento maximas cõsequti sumus utilitates. in balneo marie ex siccamus sublimationis rosarum, infusionis sumac. garafilorũ & mastichis pondus equilibrum. & oferimus ut posumus. singulis auroris, præterea saccarum rosaceum uetus. diacitonitem aut Elect. de sorbis glutiendum porigimus & uentrem linimus unguento de cor tice interiori castanee, & excernẽdi maximam cupidinem supposito fomento exstipticis sedamus. quod fit ex rosis rub. mirtilis gallis nuce cupreßi balaustis thure hac simillimis. quoniam his fluxum uentris pue ri deuincimus.

DE CONSTIPATIONE.

ACcidit puero & constipatio uentris. propter malum regimen nutricis.& præcipue ob usum stipticorũ. uel quoniam edit assata & rubro siciens temperatur uino.uel quia natura,puer talis erit.est igitur nutrici præcipiendum dicta orreat.& oppositis utatur edulibus uescatur autẽ elixis carnibus & pingui ferculo.aluum proluat.& aquosissimo mæro temperet alimentum:hæc.n.molliunt corpus,præterea,eadem nutrix.sorbeat medicamen quod uẽtrem lenit.ut est cassia, mãna Elect.lenitiuum q̃titas conserue uiolacee.aut sy.uiolaceus.arbitror.n. post unius ex dictis deglutionem.mollius efficiet corpus.uerum. puerũ illines linimentis & cerotarijs uentrem mouẽtibus siue aliquid ano suppones.ut ex larido facere consueuimus uel e stipite,brasice,capillis inuoluendo & tingendo oleo pingui,demum & tritissimo sale conspergendo his nanq; modo & obstetrices uulgo utuntur: uices autẽ horum & mel ybleum fere solet.uel sic,quoniam nouimus præstantssimũ esse. Contundito fecis muris drach.dimidium & cum pingui rerum hyrci conficito.quod si hoc acciderit in nuperime nato, & supercalefieri ceperit præcipue,non ualens uomere.tum poriges illi.rosacei sy. de tribus infusionibus aut infusionis reubarb siue ut uidebitur præstantius. q̃uis pleriq; consueuerunt offere.sorcocole adimidio usq; ad scrupulum. cum lacte nutricis.uerum alij & enemata subijciunt ex oleo uiolaceo. dum possunt.quibus uti poteris dum noueris prodesse posse.

DE LVMBRICIS.

IN affectibus ortis ob causam lumbricorum.difficillimũ est quicq̃ per os puero exibere.quoniam non adeo infantes sed neq; iuuenes obediunt profuturis.quinimo proni sunt in obliqum.quia potius nocua apetnnt,ideo ad forisceca curendum est.& si uniuersalia particularibus præmitenda essent,quia oblata per os est utilior drachma q̃ exterius illita untiola.igitur dum poteris.acetosum.s.poriges . uel sy.de acetositate citri.post etiam& infusio reub.danda est,siue hoc medica-

men. Contūdito reub. scrupulum. sy. de succo endiuie. acetosi. s. untiolā uel dimidium succi brasice drach sublimationis cardi. benedicti q̄tum conuenit. & hoc offeres indiluculo. & anum siue podicem illimes melle ybleo. aut subiicies. ex lacte & melle enema. quia uermes dulcibus euocantur sæpissime. prodest & oleum oblatum per os. quando autem praestolandum erit forinsecis. terito cimini q̄tum uolueris & cum recēt fele tauri conficito. quoniam hoc & necat. & euocat uermes. siue cōtundes lupinorum baccarum lauri cum prædicto fele & lines præcipue uentriculum & sedem umbilici. offerenda est etiam singulis diebus ad sinceritatem usq;. elixatio sebesten aut oleum oliuarum uel poriges sublimationem graminis aut acetose & portulace. semen autem alexādrinum & necat & eiicit uermes. & dum potest puer edat amigdalas. cum uero dicta non profuerint hoc prestantissimum conficies linimentum Cōtundes ergo mirrhe aloes coloquintide lupinorum se caulium se portulace se. acetose similiter & spetierum yere Gal equale dimidiū drach. felis tauri untiole dimidium. demum cū succo malli aurei & oleo amigdalino amaro uel oleo de absinthio aut pariter amborum additis. conficies linimentum in cortice dicti aurei pomi. & lines sub auribus sedem. uentriculum & regionem umbilici. quod si febris aderit. illines renes & latus iecoris cum cerato sandalino & linimento quod fit de oculis populi. quoniam plurimum profueris. maxime cum subieceris enema ex oleo uiolaceo & rosaceo melle. offeres etiam noctu potum huiusmodi. Contundito reubarb. cum dimidio scrup. spice nardi. modicum. demum cum sublimatione endiuie & aliquot gutulis uini facies potum laudatur & lac capele suppositum. nos autem hoc potu frequentissime utimur cum febris succedit & solamur plurimum. itaq; lectis sublimationibus endiuie uiolarum rosarum portulace & boraginis de singulis pondus equilibrum. recoquendo addimus tantundem sachari et cōficimus potum laudabilem inficiēdo, sand. sin autem ut accidit ob causam uermium uentris solutio succederet adhuc eundem potum inficimus cornu cerui usti quoniam utilissimum inuenimus quod si dictis, præstantioribus indigueris medelis. ad nostras confugies familiares ibi. n. uberius scripsimus.

DE CALCVLO VESICE.

COnstat. quod e pituita nimium humida. crassa & glutem habente magnū. uel ex pure alicuius ulceris. aut ex sanguine colecto in aliquo præter naturali tumore. cōgestio fit calculi, sed a postremo accidit rarius. & inditiū est fuscedo lotij, & minus doloris sentit patiens q̄ cum est in renibus. efficit autem infantulo laboriosum mictum. tenuis etiam effluit urina cum aliquo pruritu colis & quodam uehemēti dolore, atq; frequenti erectione ipsius colis quod, si uberius uolueris cōprehendere. & priscos & neotericos doctores consules. uerum dum hunc scindere uolueris lapidem. balneabis puerum calenti aqua: atq; uteris omnibus illis præsidus. que de proprietate ciunt urinam & quoq; frangunt lapidem. siue istius medicaminis poriges magnitudinem auelane in diluculo & cum aduesperasit. Conficito tandem caprifici & olibani pondus equilibrum cum melle ybleo siue hoc præstantius. comprimito & uiridem nucem & porrū in mundum. & traicito. succi nucis partem unam. succi porri partes duas. & seruato in uitreo uase. & purum septem auroris saltem glutiendum offeres in modica q̄titate. sed cum dormitum reponitur puer. & testes & mentula per ungantur eius. aliquo oleo aut oleo been. uel oleo descorpionibus. poriges etiam dū eris audentior confectionis iustini siue licōtriponis cum redolenti falerno. hæc. n sunt præstantissima in nefresi & affectibus calculi. sin autē maiora cupis cognoscere & frangentia & pelentia dictum lapidem. ad nostrum iam toties dictum opus confugies. ibi. n. complura summi uolū tate largitoris utilissima reperies, si quando timor te non occupauerit. ut plurimos & in expertos solet occipere.

DE EMINENTIA VMBILICI.

EX uberrimo uagitu infantis. nonunq̄ profluit ultra modum umbilicus. quamuis idē e casu & uerberibus etiam accidit. Igitur dū efluxum umbilicum comprimere uolueris & ad pristinam formam reducere. facies componat uagitum infans pro uiribus post hoc & nutrix & ille utatur stiptico regimine uitæ coibentibus enim in hoc affectu ualde solatur infans. demum hoc fomento dicte sedi foueto. in uino rubro proiicies. lupinos & combustum lineū linteolum. demum

ſpongijs dicto madidis uino comprimes umbilicum, quod ſi nimium flui tauerit, non timebis eius circuitum leuiter circundare ignito ferro. tamen aduertes propter gracilem cutem, quod ſi fortiori indigueris præſidio adglutina & poſsidentia uim glatialem. Confugies, uel ad ea ſaltem recures que in ſuppoſito capite dicentur.

DE SEPARATIONE CONTINVI inguinum.

CVm a plurimis. plerisq; in locis dictum ſit. quomodo ſiue propter q̄ cauſam continui fit ſeparatio in inguinibus. & ſignum euidens ſit ſeparationis. uiſum eſt ſuperuacuum & cauſam refere & ſignum, uerum deſcendere ad ea, conuenientius, quæ quodam glutino cæleſti diſiecta conſuunt. Itaq; poſt præceptum regiminis uitæ impoſitum. Conficito. cum uino rubro, aluminis drach. xv. galarum drach. duas exſiccā do ſuper ignem ad conſumptionem uini, & donec reduxeris inſtar cataplaſmatis. demum diſiecto inguini appones, & deſuper etiam pones ſpongiam aceto admixto aque tinctam. uerum donec per ſeipſum non deciderit cataplaſma aliud non repones. hoc autem facies cum ceciderit & pelis glutine uti poteris dimitendo quouſq; non cadet, ſed poſt eius caſum aliud repones idem. ſiue ceratum de pele arietina admouebis, hec. n. ſunt. quæ teneras diſiectas partes reſartiunt fauore maximi ſuperum.

DE PRVRITV. VLCERIBVS ET ueſicis coxarum.

PRuritus. ulcera, & ueſice. oriuntur in coxis pueri. ob acuitatem eius urine. quæ acuitur frequenter ex lactis coruptione. in ſe uidelicet aut inuentriculo pueri, quod e malo regimine uitæ præcipue nutricis ſuccedit. corigenda ergo erit nutrix. ne, edat ſalita, acria, acetoſa & ſaporem acutum habentia, eſt. n. hoc primario inhibendum, prætera ſciēdum eſt. quod ex ulceribus quedam albida ſunt quedam niger-

rima. quedam & rubri coloris. pleraq; etiam ex his nullius. quedam pauci, quedam maximi doloris, nigra autem cum febre mortis inditium. sed reliquarum cura est potissima in regimine & pueri & alentis. lac tandem coriges. & calenti aqua ablues puerum, sic. n. pus euocalis ab ulceribus, & medicamen quod per os dandum est. eliges uirtutis sit. qua ab internis sedibus ad externa propelat nocua. de qbus est elixatio dactilorum. siue ficuum pinguium aut sene. cum sublimatione feniculi. demum cum cognoueris omnem crasitiem exterius uenisse. Confestim lauabis puerum cum aqua elixationis rosarum frondium mirti & simillimorum. & postq̃ ablueris illum. illines ulcera oleo rosacco tantum. quæ si fuerint sicca. idem facies cum oleo uiolaceo. sin fuerint humida. propter ubertatem malli succi. Conficies linimentum ex oleo rosaceo & cerusa & modico cere, per os nil amplius exhibendo quod succos moueat scrutare etiam quotenis fuerit puer. qui si natus fuerit sex menses. uel ultra, lauabis illum elixatione ordei uiolarum altea & folijs cucurbite. uerum non perunges illum aliquo linimẽto post balneum præcipies autem ut nutrix sorbeat de succo fumiterre cum mirab. citrinis siue eidẽ offeres de sy. fumiterre. & potius inediam nutrix patiatur q̃ edat ad saturitatem. præcipue crassos succos gingentia. dulcia, & .n. salita & ipsum sang. urentia. lac mirifice inficiunt. quo dum puer uescitur infici tur. etiam. aduertes autem num post balneũ aliquod ulcus apparet quia consperges illud amido uel spodio tritissimo. q̃uis & mirrha & farina ordeacea laudatur conspersa. hoc etiam mirificum inuenies. tam in ulceribus q̃ alijs in affectibus ex acuitate urine orientibus. Itaq; ablues infecta. elixatione rad. elaterij. quoniam altissimi auxilio. uirtute cuius plena sunt omnia. mirabile præsidium dices, sin minus hæc profuerint tum illines locum cerato de litargirio. aut linimento quod fit de cerusa & dicitur album camphoratum quia uehementer exsicant.

DE RELAXATIONE MEMBRORVM.

ACcidit puero & relaxatio etiam quandoq; in uno membrorum q̃doq; in toto corpore. duplex itaq; relaxatio est altera conatu-

ralis. quam solus deus curat. altera aūt succedit præcipue ob uitiū mali regiminis a lentis fateor oritur.n.hæc.e succis tenacibus & glutinosis neruos & ligamēta laxantibus. Igitur præcipiendum est nutrici.ut pascatur siccis edulibus. q̄bus corigat succos humidos. quos puer sugit cū lacte. Cauet etiam dicta. ab oībus que egre coquntur inuentriculo. de quibus sunt legumina. olera. carnes bouine. lac, & cuncta lacticinia cū piscibus præcipue lacustribus. uerū priusq̄ puer aletur in balneo elixationis herbarū redolentium & calidam uirtutem habentiū lauetur. & post balneum nucha cū iuncturis & ligamentis omnibus illinatur, oleo costino aut oleo castorei. postremo hoc quoq; singalare seruabis. offeres puero singulis diebus usq; ad sinceritatē drach. dimidiū istius confectionis. quā plurimi artis medice professores expertissimi. expti sunt. in simillimis casibus. & apud galos exibuimus eam infanti patienti spasmū in toto corpore cuius talis est ordo Cōtundito mēthastri roris marini cinamomi. se. ameos. doronici. Zedoarie. gariofilorum equales drach. duas. sand. rub. ligni aloes drach. musci drach. dimidiū. & cuncta confricentur balsamo. demū cum melle conficito. hac eadem in relaxatiōe. pleriq; super spondilem dorsi posuerunt cataplasma de euforbio. quod hoc modo conficitur. liquefacies super ignem cere & euforbij equalem drach. olei ad arbitrium: uerū tamen in omnibus operibus nomen præpones altissimi dei quoniam sic quodlibet opus tuum optatū finem facile posidebit.

Erores imprimendo comissi.

In Ep. nete. pro note. in cáp. de magnitud capit. succurendon pro succurendū. De sternutamemto pro sternutamento. in cap. de morb. comiti. norbū pro morbum. In cap. de produc. dēti. crucis pro cruris. In cap. de tussi nncleos pro nucleos. In eodem cap. conficite pro conficito. In cap. de uo. abuerit. pro ab orruerit. In cap. de flu. u. omissum. concipit.

Rome ex Tugurio Blondi.

Cum authoritate Pontificis in decenium.

¶ Per Valerium Doricum & Aloisium fratres.

XII